

2053

P O L E M I C I.

2054

*homines caelestia scire uolentes. Colloquium ad sanctissimum dominum nostrum papam Iulium tertium. — Regola santissima per quam gubernari deberent religiosi in ecclesia catolica et apostolica. Religiosos, qui huic Regulae se subicere noluerint, ad expugnandum Infideles ablegat Noster, et eos expugnabunt omnino, et ibi suam experientur uirtutem, et manus domini erit cum eis: ut fiat unum ouile &c. Neque hic solum Propheten agit, sed plura in somnis vidit, quorum etiam *Picturas* huic Scripto inferfit. *Italum* fuisse e modo scribendi liquet; *Patavii* egisse e narratione de tribus *Puellis* ibidem a. 1552. 10. *Iunii a patre occisis* fol. 66. constat; *Venetias* accessisse, habes in sequentibus: *Die predicta 25 decembris 1552 de mane quando serenissimus dux cum Illustrissima Signoria et R. legato et Illustris cesaris et cristianorum regum oratoribus miabant ad ecclesiam: eis presentauit predictos libros: qui me forsan insanum existimans repudium dedit aures suas uerbis meis non tribuendo: nec quod intus esse poterat excogitando, sed sic me respiciendo transit serenissimus dux franciscus donatus — Transeat cum illo et Lector; temporis enim et charitae miseret.**

DXL.

730

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 70. 4. a diuersa manu probe scriptus, et
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

rubricis distinctus ita inscribitur: *In nomine domini incipit prologus in libro de honestate ecclesie. Initium: Uerbum et sapientia Dei patris dominus noster ihesus christus qui pro ecclesia sua saluanda de celis descendere dignatus est &c. Prologum excipit Capitulum. Enumeratio absque numeris, quae uniuersim CLXVIII. censentur. Caput I. Operis inchoat: Cunctis Fidelibus Liqueat ouilis dominici curam beato Petro apostolo ab ipso domino commendatam. Nam cum resurrexisset a mortuis &c. In Cap. CXVII. uerbis: ut ditiores uel gloriosiores inde appareant, laborem Librarius abruptit. Extat uero Opus integrum e Codice Coenobii *Gottvicensis* in *Austria* erutum in *Bern. Peziz Theol. Anecd. T. II. P. 2. a p. 74.* Congestum illud fuit e facris Literis, Conciliorum Canonibus, Pontificum Decretis, Patrumque *Dictis* adhibita etiam *S. Benedicti* Regula feruentibus Sacerdotium inter et Imperium in Ecclesia discordiis et quidem *Seculo XII.* ut ex hoc *Cap. CXVII.* initio liquet: *Summi et uniuersales pontifices Gregorius VII. et urbanus II. atque pascalis II. uidentes tot et tanta mala que breuiter enumerauimus de inuestitura ecclesiarum uelud ex toxicata radice pullulare &c. Cum uero eod. Cap. dicatur, Paschalem vi coactum permisisse, ut Episcopus non consecratur, nisi a Regibus annulo et baculo inuestiatur, et mox addatur: Non igitur sanctus Papa hoc observare debet, sed*
H h h
magis*

magis studiosissime emendare &c. paene certum fit, elaboratum illud fuisse ab Autore intra *Februarium* a. 1111. et *Martium* a. 1112. intra quod videlicet tempus *Paschalis* *Henrico V.* Investituram et cessit et revocavit. Quis porro Autor ille fuerit, ex *Anonymo Mellic.* c. 115. palam fecit *Pezius* *suprac.* in *Dissert. Isag. T. cit.* p. 23. *Placidus* nempe *Coenobii Nonantulani Prior*, id quod confirmat vetusto Librorum Monasterii *S. Petri* Catalogo, cui inscriptus erat *Placidus de Honore Ecclesiae.* In *Historia Abbatiae S. Silvestri Nonantulana* a *Cl. Hier. Tirabosco Mutinae* 1784. italice f. edita *Priorem* ad An. 1112. etiam dum reperio *Johannem, Placidum* vero *Monachum* duabus *Chartis* Ann. 1117. et 1123. subscriptum. Tardius igitur *Prioris* munus ei obtigisse reor. Quod autem et *Episcopatum* gesserit, ut visum *Pezio*, cum haecenus adducta temporum ratio refellit, tum adcuratius expensa *Operis Capita* 82. et 83. quae doctum illum Virum non nisi obiter inspexisse oportet.

II. fol. 58. absque Autoris indicio sequitur *Encomium B. V. Mariae* numeris ad marginem adpositis in XII. distinctum *Particulas*, quae *Profarum* sic dictarum formam habent. Initium primae est: *Omniū domine tibi perpetua uirgo uirginum maria laudes debemus omnes dicere. in cuius laudem tamen nos non credimus. immo scimus nos non suffice-*

re &c. *Finis ultimae: qui longa peccandi consuetudine. ineuitabiles nunc usque necessitates patimur. De Morte et Assumptione Deiparae ita sentit Noster: Quomodo autem vel quamdiu dormieris. vel si adhuc cum dormientibus dormias. vel iam euigilaueris in resurrectione. nos neque possumus. neque audemus negare uel affirmare. Et: Assumptam te et super angelos exaltatam credimus; sed siue nunc sis in corpore siue extra corpus. deus scit. nos nescimus &c.* Quae *Sequentiarum Godescalci Cod. DCCL.* relatarum moment.

III. fol. 65. *Expositio brevis Capitis LVIII. Regulae S. Benedicti* de *Regula* *Novitiis* ter praelegenda, hoc initio: *Super Capitulo illo Beati Patris nostri Benedicti: nouiter quis ueniens ad conuersionem. non ei facilis tribuatur ingressus. iustius reprehendi uidemur. quoniam in probatione nouiciorum properantiores sumus &c.* Videtur *Pars Apologiae Instituti Benedictini*, si coniecturae locus, autore *Ruperto Tuitiense*, cuius *Libros IV. Super quaedam Capitula Regulae Diui Benedicti Abb.* habemus edit. *Venet. T. IV. 1751. p. 293. f.* in quibus quamvis *Nostri* haec non legantur, fieri tamen facile potuit, ut is argumentum hoc pluribus *Libris* nondum e *Mss.* protractis versaret. *Convalescit coniectura* ex eo, quod sequitur.

IV. fol. 66. absque *Inscriptione* *Dissertatio de Abbatum et Episcoporum pastoralibus Virgis*, quae

2057

P O L E M I C I

2058

quae incipit: *Ad Corinthios scribens Apostolus significatum est ait michi de vobis fratres mei ab his qui sunt cloes &c.* Differtatio porro haec *Librum IV.* Operis paulo supra cit. edit. *Venet.* p. 314. constituit. Meminit ibi *Rupertus* Epistolae *Friderici Colon.* Archiep. ad *Adalberonem* Ep. *Leodienf.* qui sedem ab anno 1122. ad an. 1128. tenuit, ante non multos dies datae, unde scriptio- nis tempus innotescit. Deficit *Codex* in his *Cap. 6.* verbis: *Si regulari disciplina constricti et intus absconditi* — — .

DXLI.

521

Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 159. 4. per duas columnas nitide scriptus, rubricis distinctus, olimque pertinens ad *M. Simonem Tissnowiensem* duo continet Opera, quorum Primum *Marsilii Menandrini* rectius *Mainardini* a patria dicti *Patavini* Liber dictus *Defensor Pacis*, quo circa an. 1324. causam Imperatorum, et tunc quidem *Ludovici Bavari* contra Pontifices egit. Tradunt de Viro hoc *Hemr. Wartonus* apud *Cave Vol. II.* append. p. 26. *Nic. Comn. Papadopolus Hist. Gymn. Patav. T. II.* p. 154. *Fabricius Bibl. med. Lat. L. XII.* p. 33. quorum Posteriores duo mea quidem sententia perperam eum Ordini *Minorum* adtribuunt, ea fortasse solum ratione ducti, quod eadem cum quibusdam hujus Ordinis viris et nominatim *Guil. Occamo*,

senferit. At vero obstat *Rektoratus* *Universit. Parisinae*, quem teste *Bulæo Sec. VI.* seu *T. IV.* p. 163. et 974. Noster a. 1312. gessit, et si dicas, quod *Papadopolus* innuere videtur, serius eum ordini nomen dedisse, silentium *Waddingi in Scriptt. O. M.* reclamat, qui, cum *Michaelem de Caesena, Guil. Occamum* &c. non tacuerit, neque nostrum tacuisset, siquidem ad *Sodalitium* suum pertineret. Gravior alter error *Fabricii*, quem et *Jöcher* adlevit, *Marsilium* Rectorem *Universit. Viennensis* ad an. 1312. constituentis e *Lambecii L. II.* p. 257. edit. *Kollar. Analect. T. I.* p. 335. ubi tamen *Lambecius* apertissime *Parisiensem* nominat. Verum jam ad opus ipsum advertamus. Extat illud post edit. *Basil. 1522.* in *Goldasti Monarchia S. Rom. Imperii T. II. P. I. Francof. 1614.* p. 154. f. caret tamen ibi *Conspectu* omnium trium *Dictionum*, in quas divisum est, qui nobis 5. Columnas occupat, et ipsius *Marsilii* esse videtur. Illius initium: *Prima dictio* (distinctio?) *huius libri continet capitola 19. quorum primum est de Intencione summaria &c.* Hic porro *Conspectus* e *Capitum* singulorum *Argumentis* constans in *Edit.* per singula *Capita* seorsim distributus est. *Capitum* divisio aequaliter procurrit, usque ad *Dictionis* II. C. 6. quod in *Codice* factum est in duo, verbis illis: *Ceterum que de clauium sacerdotium potestate seu auctoritate per christum*

H h h 2

christum